

Sic & in TUTELA. Testator voluit Titium Tutor-
rem esse, duo sunt Titii, nec apparet, quem voluerit: cum
tutela sit indivisibilis, apparet enim testatorem Unum tan-
tum Titium velle; neuter tutor erit per *l. 30. D. de Test. Tu-
tel.* Quid de POSSESSIONE? si ad eam plures perplexo jure
concurrant? cum possessio sit indivisibilis, seu plures in so-
lidum, eodem possessionis genere possidere non possunt *l. 3.
§. 5. de acquir. possess.* sequestrandam putavit possessionem
Butrigarius ad l. un. C. uti possid. seu neutri interim tribuen-
dam. Sed si accuratius considero, falsum illud Proculiano-
rum Principium de indivisibilitate possessionis esse arbitror,
veriolemq; *Sabini* sententiam in *l. 15. §. 4. de Precar. § l. 3. D.
uti possid.* etiam de una eademq; naturali possessione. Nam
cum qui in parte rei stat, reliqua animo obiens, totum pos-
sidere possit, *Paulus in ead. l. 3. §. 1. de acq. poss.* quid prohibebit
plures simul in ejusdem fundi diversis partibus. ambos ani-
mo possidendi totum stare, assentientem habeo *Joh. Fabrum,*
de castro aliquo in *§. retinenda, n. 27. v. si verò § de interdict.*
Neq; de mobilibus aliud dicemus: falsum enim, contra na-
turam esse, ut quod ego teneam, tu tenere videaris, tametsi
Paulus d. l. 3. §. 5. pro comperto habet. Ecce enim si urce-
um utrinq; ansatum eodem tempore ego & Titius oppositis
locis apprehendamus, quidni ambo teneamus aut possidea-
mus, cum dici non possit uter magis aut minus possideat,
Ergo *arg. l. 5. verb. nec enim potest reperiri D. de fidejuss.* & lon-
gè ineptius dicatur: Neutrum possidere. Quare & in soli-
dum uterq; possidebit, cum altero subtrahente manum, al-
ter nihilominus sustentaturus sit. Taceo si servus commu-
nis, imò & amicus possessionem ingrediatur, animo eam
pluribus acquirendi; Omnes quibus possidet; in solidum
possidere. Dicendum igitur casu perplexo neutrum vinci,
id